

quid ex usu efficere posset, eo misit. Is bireme una cum hominibus, altera vacua captis, expositis militibus, & equitibus Naupliis adhibitis, prælio cum Megarensibus commisso eos fudit: atque arcem, quæ a Thracibus defendebatur, magno impetu cepit: ac reste suspensis iis, qui oppugnationi superfuerant, quosque cum biremi ceperat, frumentoque omni abducto, oppidum incensum ac solo æquatum delevit, ne impedimento Naupliis esset, quo minus eo ab latere quam vellent libere vagari eis liceret. Idem postea complures ad insulas, postremo ad Eubœam profectus, prædam, & quidem opulentam, abegit, oppidaque aliquot & castella multa incendit, ac magnum propugnatorum numerum interfecit, ingenti undique omni illo in mari terrore hostibus atque formidine incussa. Quo quidem tempore captis ab se oppidis rex metuens, Coronem, Methonem, Pylon muris & propugnaculis, reliquisque rebus ad hostem repelendum idoneis, & militum præsidio apprime communivit. Nauplii autem equites, cum hostes ad illos lacestendos in eorum prope suburbia irrupissent, egressi eos fuderunt: ex quibus ducenti quinquaginta interfecisti atque capti. Idem paulo post alii hostium equites Catarbejo duce aggressi, omnes a Naupliis capti sunt præter ducem, qui cum duobus equitibus aufugit. Reverso Corcyram Pisauro, ut classem regis Galliæ, itemque regis Lusitaniarum, de quibus proximo libro dicetur, expectaret: magistratus reipublicæ qui Dyrrachio præterat, morbo affectus, ut valetudinem curaret, Olicinium se contulit cœli salubrioris gratia. Eam occasionem nocti hostes, noctu Dyrrachium furtim aggressi, scalis ad murum positis se in oppidum intulerunt: interfecistiisque paucis somno expergefactis oppido sunt potiti. Sed ea æstate foris Pylo atque Dyrrachio amissis, nullo autem negotio, quod magnopere ex usu esset, confecto, domi Augustinus Barbadicus vita functus est, de mensa septembri, cum annos XV. civitatis principatum obtinuisset.

Dyrrachium
a Turcis capitur.

Augustini
Barbadici,
Principis,
obitus.